

perabsurde quis autumet, a quo longius abesse, quibus sana mens est, nil est, quod dubitem. Atuero, quod pace viri summe reu. dixerim, iusto posset videri fere durior haec sententia in eos ex Theologis nostris, qui locum istum de peccato in spiritum sanctum explicant; nec rationes, quas vir venerandus pro sua, de expositione huius dicti, et de peccato in spiritum sanctum adfert sententia, ita comparatas esse statuent, ut satis possint probari, eas tamen iam examinare, nec meum fert institutum, nec reuerentia, qua Theologum illum magni nominis colo, permittit, eius sententiam qui nosse et diiudicare cupit, ipsam adeat *Eistolam istam, quae Suobaci 1732. denuo typis fuit commissa.*

§. XI.

Ratione status praecedentis Apostolus peccantes in spiritum sanctum ita describit, ut eos dicat

I. ἀπαξ φωτισθέντας, tales, qui semel fuerint illuminati. Vocabuli ἀπαξ significatio propria et maxime consueta haec est, ut denotet *semel*, in hac a sacris aequa ac profanis scriptoribus graecis fere ubiuis, et ab Apostolo nostro in epistolis suis semper adhiberi consuevit, conf. *Phil. III. 16. Ebr. VIII. 7. 26. 28.* Cum ergo haec sit propria atque usitatissima huius vocis notio, cum in ea alias ab Apostolo nostro ubiuis in epistolis adhibetur, et cum nulla adsit praegnans caufsa, ob quam ab isto vocis significatu sit recendum, merito eum hic retinendum esse censeo. Militat et hoc pro sententia mea, quod Apostolus hunc ἀπαξ φωτισθέντα non denuo ad poenitentiam, ideoque nec ad illuminationem renouari posse adierat, et hac ratione loquatur de re, quae non nisi semel fieri